



1792.

1. Costen dyk, Bruner : De eo, quod iustum est circa prescriptionem in iudiciis divisionis
2. Costen dyk, Gerhard : De iustis et obligationibus usufructuaria circa refectionem aedificiorum.
3. Denck, Georgius Fredericus : De sorte receptitia
4. Frankenfeld, Joann. Han. Albert : De discrimine nuda divisionis et testamenti parentum inter liberos.
5. Gries, Joannes Ludovicus : De studiis Hamburgensium promovendi commercia sua, tam in jure publico, quam privato conspicuis
6. Hesse, Joannes Fredericus Christianus : De liberosum legitimatione an et quatenus nobilitatem conferat?
7. Heepe, Sigismundus Vitalis : De electione fori inter summa imperii tribunalia pacto inter electos S. R. I. Litigentes in perpetuum non definita.

8. Mecklenburg, Franciscus Philippus Christianus: Fidei iustitiam  
inang. iuridica, qua commoda superstitis conjugis in  
communicatione bonorum universali minime) successio-  
nem hereditariam sed mutationem conditionis  
in dominium solitarium efficere contendo

9. Mueller, Gotthard (Christoph): Beschreibung eines neuen,  
... bequemen Werkzeuges zum Nivelliren oder Wasser  
wägen.

10. Seidensticker, Joh. Ant. Lud.: Anleitung d'ganz eines beson-  
deren Verfahrens zu schriftlichen Abungen in der Theorie  
des gesammten Jurisprudent.

11. Thies, Ludovico Ferdinando: De quorundam inefficacis  
donationibus non nisi ad legitimam in rebus donatis non  
eandem competente.

12. Wedekind, Christianus Burkhardus: De jure creditis hypo-  
thecari circa fructus, inter eandem solutio gratia



atit a Helforo utriusque communis assignatos.

13. Wichelhausen, Wilhelm Inustus: Analecta quaedam ex  
antichresi collecta

1793.

1. Brueckner, Ines. Frido. Christoph: De compensatione  
~~two~~ Ducatus Megapolitanis facta.

2. Lehey, Henricus Adolphus: De vero et originario fun-  
damento obligationis rusticorum ad operas et censum  
proestandum.

3. Mitleis, D. Georg: Dissertatio inaus, qua corporis  
nobilitatis immediate S. R. I. jus collectandi  
in feudis consolidatis vindicatur. Spec. I

4. SeidenFicker, Joh. A[n]t[oni] Lindl: Einleitung zu seinen  
Vorlesungen für diesen Winter



1793.

5. Willkius, J. P. 9. De rotatione annuli Saturni

Part I.

De rotatione annuli Saturni in Medicis suis.





*J. N. p. lib.*  
1793, 3  
~~524~~  
16

DISSERTATIO INAUGVRALIS

QVA

CORPORI NOBILITATIS

IMMEDIATAE S. R. I.

IVS COLLECTANDI

IN FEVDIS CONSOLIDATIS VINDICATVR.

SPECIMEN I.

---

EAM

AVSPICIIS REGIIS

AVCTORITATE ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO SVMMIS

IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

RITE OBTINENDIS

DEFENDET

DIE XV. APRIL. MDCCLXXXIII

IO. GEORG. MIHLEIS

SVEVO-STRASDORFENSIS

---

GOETTINGAE

IN OFFICINA BARMEIERIANA.

*1793*

COPIA  
LIBRARI  
MAGNIFICENTIA  
BIBLIOTHECA  
UNIVERSITATIS  
SACRÆ  
SAXONICÆ  
LITVÆ  
AC  
POLONICÆ  
VARSAVIENSIS  
1777





ILLVSTRISSIMO  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO DOMINO  
DOMINO  
MAXIMILIANO EMANVELI  
LIBERO S. R. I. BARONI  
DE RECHBERG ET ROTHENLÖWEN

DOMINO IMPERII DYNASTIARVM  
WEISSENSTEIN, BÖHMENKIRCH, KELLMÜNZ, DONZDORF  
ET SCHARFENBERG CET.

ELECTORIS PALATINO - BAVARICI CAMERARIO ET STATVS  
ADMINISTRO, B. ELECTORIS BAVARICI VIDVAE SVREMO  
AVLAE MAGISTRO, PRINCIPI PRAEPECTORVM ORDINIS MILI-  
TARIS EQVESTRIS SANCTI GEORGII, ADMINISTRATORI DY-  
NASTIAE IMPERII WIESENSTEIG, PINCERNAE  
HEREDITARIO ELVACENSI

FAVTORI SVO INDVLGENTISSIMO

TENVE HOCCE STVDIORVM

SVORVM SPECIMEN

PIA DEVOTAQVE MENTE

SACRVM FACIT

TANTI NOMINIS

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS.

AVCTOR.



---

## CONSPECTVS.

---

I. De iis casibus, vbi non tam communi, quam peculiari fundamento ius, quod nobilitati S. R. I. immediatae hic adferimus, nititur (Parte I.).

A. Generalia de argumenti grauitate eiusque recte tractandi modo (§. 1. 2. 3.).

B. Sigillatim de singulis consolidationis casibus, in quibus res liquida et expedita est; quo refero consolidationem

1. feudorum imperii (§. 4. 5.).

2. feudorum, quorum dominium directum pendet a corpore equestri ipso, vel singulo eius socio (§. 6.).

3. feudorum, quae a statibus imperii habet nobilitas immediata,

a. si pacto aliquid definitum est.

α) Pactorum recensio chronologica datur (§. 7.).

β) De vario eorum consilio et ratione (§. 8.).

γ) De adhibenda confirmatione caesarea (§. 9.).

b. si infeudationes iuniores sunt statutis, de reservatione iuris collectandi in casum aperturae valide factis. Disquiritur:

- a) quanam falsa sit ratio, horum statutorum vim aestimandi (§. 10.).
- β) quanam recta; iuncto elencho nonnullorum statutorum (§. 11. 12.).
- c. si oblatio in feudum post matriculam equestrem conditam facta est (§. 13.).
- d. si feuda iam ante consolidationem ex obseruantia particulari a collectis equestribus immunita erant, vulgo *Frëygüther* dicta (§. 14.).
- e) si consolidatio *praemature* facta est (§. 15.).

II. De eo quod iuris communis seu normae generalis est; paucis tantum monitis, caetera remittuntur ad specimen II., quod commodiori tempore in publicum emittam (PART. II. §. 16.).

PARS



---

PARS PRIMA,

*in qua praemittuntur nonnulli casus, in quibus non tam communibus, quam peculiaribus causis ius, quod nobilitati S. R. I. immediatae adseritur, nititur.*

---

§. I.

**D**uplex bonorum genus est liberi S. R. I. equitis, alia vinculo sociali innexa, alia libera. Haec me non morantur. Illa, quae, quamvis non semper, *plerumque* tamen a) lege feudali tenentur, nunc a caesare et imperio, nunc a singulis statibus, nunc ab ipso corpore

a) Testis est I. G. KERNER *im Staatsrecht der unmittelbaren freyen Reichsritterschaft*. Tom. II. (Lemgo. 1788. 8.). p. 219.



pore equestri, vel aliquo ipsius socio pendentia, sola huius instituti sunt, non attento discrimine, tum, vtrum in rebus corporalibus, an incorporalibus, quales sunt iura, consistant, tum, vtrum equiti sint propria, vulgo *Propergüter* dicta, nec ne? (quid enim hae diuersitates in nostro argumento valeant, altioris quaestio indaginis est, a qua propter chartae angustias abstinere consultius duxi). In eo tantum versetur, vt exponamus, an *citra illam variam conditionem* feudum aliquod, ad dominum directum reuersum, ratione iuris collectandi corpori equestri obnoxium maneat?

Patet ergo per se, sermonem esse de iure collectandi *collegiali*, quod imperii causa exercetur, ad similitudinem tributorum, auctoritate caesarea per circulos imperii a statibus recipiendorum.

Scilicet subsidia charitatiua, et quaeuis alia liberalitas erga caesarem, nec non quaeuis impensae, in conseruationem et florem ipsius corporis equestris factae, multis modis ad imperii vtilitatem atque dignitatem spectant, eoque ipso eundem fauorem, quem tributa imperialia, habere debent. Quis enim neget, omnia ea, quae quaecumque membrum, quo corpus imperii



imperii nostri constitutum est, afficiunt, ad vniuersam rempublicam pertinere? Non poenitet, repetere verba ex capitulatione *Buchenfi* de 19. Ian. 1610, vbi nobilitas S. R. I. se ipsam praedicat: "*kein geringes futcrum des heil. Röm. Reichs und die rechte Hauptwurzel der adelichen Stifter b*).

Vtinam memores essent huius necessitudinis inter corpus equestre et imperium quicumque de argumento, in fronte huius libelli proposito, a me diuersa statuunt. Considerent velim secum, interesse totius imperii, conseruari corpori equestri collectas in feudis consolidatis, si quidem illud sine his vix saluum atque incolume esse potest. Plerumque bona equestria feudalia sunt, quae serius ocius ad dominum suum directum redibunt, vti iam sexcenta exempla ex praeterito tempore satis docent c), et quae, nisi iure colle-

A 2

ctandi

b) In *MADERI Reichsritterschaftl. Magazin*. T. VIII. p. 378.

c) V. KERNER. l. c. T. II. p. 219. 238. 242. Recensum eorum bonorum equestrium, quae per solos Wirtembergiae duces consolidati sunt, reperire licet in recessu de 30. Octobr. a. 1769., qui exhibetur in *CRAMERI Wezlar. Nebenst. T. 112. p. 596.*; it. in *den vermischten Nachrichten von Reichsritterschaftl. Sachen. I. St. (Nürnberg. 1772. 8.)* pag. 34.



standi maneant corpori equestri adstricta, in deperditis aliquando ponenda erunt.

Ita sensim debilitatis atque dissolutis membris, non video, quomodo corpus integrum atque incolume conseruari possit. Vt taceam, quod infumma iniquitas in distributione onerum, imperii causa impositorum, oriretur. Vti enim in matricula imperii non habita est ratio feudorum, quae a statibus dependent *d*), ita, si quae bona tenet sub fide clientelari corpus equestre, ea in praestationibus suis definiendis omnino imputantur. Praeterea etiam turbaretur mirum in modum ipsa oeconomia rei collectariae equestris, siquidem onera communia a singulis circulis equestribus secundum normam, ad vires, opes atque ditionis amplitudinem compositam, exiguntur. Quoties ista norma mutationibus et molestis correctionibus egeret! Quis finis modusque esset querelis

*d*) Mirum omnino videri debet, quod a contraria sententia argumentum contra ius collectiandi equestre in feudis, a comitibus de Castell consolidatis, occasione litis, in hac re initio huius saeculi acriter agitatae, desumptum est. Ipsa res loquitur. V. FABERS *Staats-Kanzley*. T. VII. p. 426. Recte IOH. FRID. BRANDIS *über das Reichs-Ritterschaftl. Staatsrecht und dessen Quellen*. (Götting. 1788. 8.) p. 22.



his de male distributo collectarum onere inter circulos equestres inuicem, quibus iam aliunde nimis largam materiam subministrari inuenimus *e*).

§. 2.

Quae modo in medium tuli momenta, etiam si lectores ad descendendum in meam sententiam non inducant, id tamen efficient, ut rei grauitas exinde perspiciatur, et ut pateat, quantum intersit, ab his vel illis partibus in quaestione nostra stare. Quo grauior autem haec causa est, eo magis doleri debet, quod tam leues defensores inuenit. His certe non tribuendum mihi videtur, quod, quotiescunque de ea in supremis imperii tribunalibus lis mota est, nobilitas victrix decessit *f*). Summa inis mixta reperimus in iis, quae deducta sunt pro nobilitate immediata contra ducem Wirtembergiae *g*).

Tum etiam ipsorum fontium, ex quibus decisio deriuanda est, iustam aestimationem desideres.

A 3

Omnia

*e*) Vid. BURGERMEISTER *cod. dipl. equ.* T. I p. 21 et 72.

*f*) Farraginem rerum iudicatarum vid. apud FABER l. c. T. VIII. p. 719.

*g*) In FABERI *St. K. T.* VII. p. 413.



Omnia plerumque redire putant ad hoc principium: esse imperatorem vnicum fontem cunctorum regalium *h*), rem ergo iam confectam esse cum confirmationibus et priuilegiis caesareis, tum decretis iudicialibus et extraiudicialibus *i*). Multa deducuntur ex discrimine in feuda data et oblata; quam fallaciter, alii iam viderunt *k*). Quin etiam ex scriptis iureconsultorum in ipsa statuta, transactiones, et capitulationes nobilitatis istos errores atque hallucinationes irrepfisse inueni *l*).

§. 3.

Ante omnia curandum mihi videtur, vt ii casus, qui singularibus prorsus fundamentis nituntur, et qui hoc ipso expeditiores et euidentiores sunt, a reliquis distinguantur, et in separato loco collocentur. His semel seiunctis, melius doceri potest, quid *iuri communi* conueniat.

Ius

*h*) V. FABER l. c. T. VIII. p. 716.

*i*) V. FABER l. c. T. VII. p. 384.

*k*) V. KERNER l. c. T. II. p. 345.

*l*) Exempla extant apud KERNER l. c. T. II. p. 348. It. apud MADER in *R. R. Magazin* T. VI. p. 637.



Ius commune autem in proposito argumento non tam, vti vulgo factum est, ex privilegiis et rerum iudicatarum concentu, quam e genio et analogia constitutionis ipsius Germaniae, ex interna legum imperii vi, ex obseruantia, ad quam deducendam prae caeteris insignem habet vim *tacitus* statuum consensus, denique ex natura nexus feudalis, respectu simul habito ad tempus modumque infeudationis, hauriendum esse, mihi persuasi.

Exoriar in hoc primo specimine a priori causarum genere, ab iis nempe, quae iam in se satis adiumenti et persuasionis habent, omnique auxilio iuris communis facile carere possunt.

§. 4.

Agmen ducant feuda imperii, quorum insignis numerus in manibus nobilitatis, deprehenditur. Iam in recessu imperii anni 1500 dicitur, plurimam partem bonorum suorum habere equites lege feudali ab imperio. Extat imperii feudorum, quae tenuit nobilitas immediata, catalogus, anno 1590 concinnatus *m*), ex quo adparet, plurimorum originem referen-

*m*) In LVDEWIGS *Erläuterung der güldenen Bulle*, T. II. p. 1051.  
It. in MOSERS *Einleitung zum R. H. R. Proceß*, T. III. p. 667.



ferendam esse ad tempora Rudolphi I, Friderici III, Caroli IV, Maximiliani I.

Creuit eorum numerus vel eo, quod imperatores dominium directum multorum feudorum, quae nobilibus concessa erant a proceribus imperii, si horum familia forte extincta erat, sibi vindicarunt *n*).

Quamquam antiquus ille numerus, qualem exhibet index laudatus, multis modis imminutus sit, tamen vel hodie adhuc, si comparationem cum alodiis vel feudis statuum instituas, satis magnus est *o*).

In horum feudorum consolidatione nihil metuendum est iuri collectandi equestri. Duplex via imperatori patet: vna, sibi vacuum rem suoque fisco addicendi; altera, denuo eam in feudum dandi. Prioris rationis exemplum fere nullum extat; pone tamen aliquod extare, quaero: an imperator sine summa iniquitate id denegare in re sua posset, quod, si res statuum

*n*) Exempla habes in LÜNIGS *R. A.* part. spec. cont. 3. unter der *R. Ritterchaft in Schwaben.*

*o*) Hanc novissimam rei faciem vid. in MOSERS *Deutscher Lehns-Verfassung* p. 65, iunctis addidamentis in Eiusdem *Abhandlungen verschiedener Rechtswater. T. III. p. 659.*



statuum vertebatur, tot et tam pertinaciter ventilatis contentionibus et litigiis testantibus, nullo modo denegari voluit? Nec molestum est, aliquos nummos corpori equestri titulo collectarum exsoluere, quos paulo post alio, v. c. subsidii charitatiui, in arcam suam redituros sperare potest. Si alteram viam imperator init, liberum quidem est, eligere sibi nouum vasallum; sed facile est ad intelligendum, quam male sibi suisque rationibus consulere, si feudum ad aliquem, qui corpori equestri non adscriptus est, peruenire pateretur. Non facile ergo acciderit, etiamsi nihil lege vel priuilegio dispositum esset, vt feudo aliquo imperii, quod hucusque equestre fuit, extraneus quis reinfeudetur. Interea tamen id, quod iam rationes prudentiae suadent, etiam decretis et priuilegiis caesareis munitum est, quibus sancitur, vt, quoties contingat, ex bonis equestribus quaedam aperta et vacantia fieri, ea non in fiscum caesareum redigi, sed corpus equestre iis inuestiri debeat. Primum eiusmodi priuilegium datum est nobilitati *Sueuicae* d. 21. Iul. a. 1688. a Leopoldo imp., quo nullus antea imperator armis et nummis equestribus plus profecerat, tamquam in grati animi significatio-

B

nem



nem p). Idem indultum iisdem fere verbis eodemque die et anno nobilitati *Franconiae q)*, *Rhenanae* autem demum d. 12. Jul. a 1702 r).

§. 5.

Ex quo intelligitur, quam tutum fit ex hac parte ius collectionis equestre, tam data fide eius, penes quem est liberum arbitrium de illis feudis imperii disponendi, quam rationibus prudentiae nil secus quam dubiis. Equitibus, de nouo infeudatis, ne in mentem quidem veniet, bonum, ex gratia caesarea adquisitionum, vinculo sociali, quo corpori equestri, dum nondum vacauerat, adstrictum erat, subtrahere atque onera, isto nomine debita, vlllo modo denegare.

Etiam-

p) In BVRGERMEISTERI codice diplomatico equestri T. I. p. 309. promittit: daß, wan und so est hinführo von denen Ihm und dem heil. Reich zu Lehn gehenden Gütern, womit von Alters hero der Ritterschaft in Schwaben Mitglieder belehnt gewesen seyen, Ihm, seinen Nachkommen am Reich und dem Heil. Reich etwas anheimfallen würde, auf mehrgedachter Ritterschaft zu Schwaben Mitglieder sonderbahre vor andern gnädigste Reflexion gemacht, und gegen einen billigmässigen Abtrag, worüber sie, die R. Ritterschaft sich zu vergleichen habe, auf einen Lehnträger damit belehnt werden solle.

q) LÜNIG R. A part. spec. contin. 3. Abfaz 3. num. 40. p. 87.

r) LÜNIG eodem. p. 65.



Etiamsi enim tam sui commodi, quam salutis atque prosperitatis totius corporis obliuiscerentur, tamen per reinfodationis legem ipsam, siue expressis verbis declarata sit, siue ex rei consilio pateat, quidquam in aduersum moliri haud liceret.

Haec in re tam graui securitas eo maioris ponderis eoque optatior nobilitati immediatae esse debet, tum quo maior numerus est feudorum imperii, et quo certius persuasa esse potest, actum fortasse de se iam dudum fuisse, si feuda imperii a statibus agnoscenda fuissent, tum quo liberior ista gratia caesarea ab omnibus statuum impugnationibus et querelis existimari debet s).

§. 6.

Nec maioris difficultatis est casus, si feudum, quod ab ipso corpore equestri, vel a singulis nobilibus

B 2

bus

s) Si quis obiiceret capit. caesar. art. XI. §. 10. II, vbi dispositum est: *wann ins künftige Lehen dem Reich — eröffnet und ledig anheim fallen werden, so etwas merkliches ertragen, die sollen und wollen wir — zu Unterhaltung des Reichs, Unser und Unserer nachkommenden Könige und Kaiser behalten, einziehen und incorporiren, legat KERNE-RVM l. c. T. III. p. 165.*



bus immediatis constitutum est, consolidatur. Exempla quidem rariora sunt; occurrunt tamen. Interdum nimirum accidit, ut corpus equestre cum statibus imperii de redimendis pro certa pecuniae summa collectis in feudis, ab his consolidatis, transigeret, imperator autem talem transactionem non nisi sub hac conditione, ut ex data pecunia novus fundus collectabilis pararetur, confirmaret *t*). Talem fundum, si in feudum alicui datur, et postea consolidatur, a pristina tributorum obligatione haud liberari, per se intelligitur,

Quae in antecedentibus exposui, satis ostendunt, quid, ad omnes de iure collectandi molestias evitandas, interfit, feuda consolidata nemini, nisi commembro dari. Non ergo mirum videri potest, quod varii scriptores, nobilitati immediatae nimia cupiditate adiecti, non dubitarunt, ius retractus equestre ad feuda extendere, ita, ut singulo equiti se novum vasallum statibus imperii vel inuitis obrudere liceret; cui senten-

*t*) Exempla vide in MADERI *Sammlung reichsgerichtl. Erkenntnisse in reichsritterschaftl. Sachen T. IV. p. 710.*



sententiae equidem subscribere nequeo v), nisi ubi propter consuetudinem, in nonnullis curiis feudalibus, teste MADERO x), introductam, res non amplius dubia esse potest; moneo potius verbo, quomodo id corpus, cuius causam defendo, etiam ratione feudorum, a statibus imperii pendentium, sibi prospicere possit. Scilicet opportuno loco et tempore id agat, ut, antequam casus consolidationis existat, sibi vel simultanea vel eventualis inuestitura vel aliud ius, ex quo in feudo succedi potest, concedatur, vel certe, ut, si quis extraneus infeudetur, is ad consortium equestre, re ita ferente, admittatur.

§. 7.

Sola ergo sunt feuda statuum imp., a quibus iuri collectandi equestri metuendum est; sed ne hoc quidem sine ulteriori exceptione. Varii adhuc modi sunt, quibus vel ex hac parte illi iuri satis praecautum esse reperimus; innuo imprimis pacta, statuta,

B 3

et

v) Quae in utramque partem inter Weberum et Maderum disputata sunt, vid. in MADERI *electis equestribus*, T. I. (Frcf. et Lips. 1774 8.) p. 44. 95. 96.

x) Eodem p. 96.



et obseruantiam particularem, iunctis iis casibus, in quibus aliquod feudum, priusquam statui cuidam *offerretur*, corpori equestri ad tributa certa soluenda iam obligatum fuit, vel vbi consolidatio praemature facta est. Omnes hi casus, quia non communibus, sed peculiaribus fundamentis nituntur, huius adhuc instituti sunt. Quod ad pacta, inter imperii status et corpus equestre inita attinet, in quibus de nostro argumento aliquid definitum est, non inconsultum videtur, eorum, quae mihi innotuere, indicem adornare. Facta sunt hoc ordine:

- 1) A. 1656. et 1687. inter abbatem Fuldensem et equites Buchenses, quarum conuentionum mentio iniicitur in nouiori recessu inter eosdem y).
- Num typis iam exscriptae sint, nescio.
- 2) A. 1699. d. 1. Aug. inter episcopum Würzburgens. et nobilitatis immediatae Franconiae sectionem Rhön-Werrensem z).
- 3) A. 1700 d. 6. Maii inter Lotharium Franciscum, electorem Moguntinum, qua episcopum Bambergensem

y) In MADERI R. *vitterseh. Magaz. T. II. p. 292.*

z) Ap. MADER I. c. T. V. p. 298.



bergensem, et nobilitatem immediatam Franco-  
nicam in pago Montano *a*).

4) A. 1700. d. 5. Octobr. inter abbatem Fulden-  
sem et equites Buchenses *b*).

5) A. 1715. d. 17. Sept. inter episcopum Bamber-  
genssem et pagos circuli Franconici: Gebürg et  
Bauach *c*).

6) A. 1717. d. 16. Aug. inter Carolum Philippum,  
electorem Palatinum, et nobilitatem pagorum ad  
superiorem atque inferiorem Rhenum *d*).

7) A. 1722. d. 26. Sept. inter domum Bado-  
denssem et circuli equestris Sueuici pagum ad Ni-  
crum et Syluam nigram *e*).

8) A.

*a*) In LÜNIGS *R. A.* part. spec. cont. 3. *unter der freyen R. Ritter-  
schaft in Franken.* p. 222.

*b*) In MADERI *R. R. Mag. T. II.* p. 292-299.

*c*) In den *vermischten Nachrichten von R. Ritterchaftlichen Sachen II.*  
*St.* p. 199.

*d*) In IOH. IAC. MOSERS *deutschem Staatsarchiv T. I.* (1751) p. 7.

*e*) In IO. IA. MÖSERI *Nachlese ungedruckter oder doch rarer Staats-  
bedenken, Urkunden, Nachrichten, und Schriften, T. I.* p. 15, 149.  
et in MADERI *Magazin T. VI,* p. 649.



- 8) A. 1725. d. 23. Apr. inter 'domum Onoldinam et nobilitatem immediatam in pago Altmühlensi *f*).
- 9) A. 1767. inter episcopum Bambergensem et inter hos pagos circuli Franconici: Gebürg, Baunach, Steigerwald *g*).
- 10) A. 1769. d. 30. Octbr. inter Carolum, ducem Wirtemberg., et nobilitatem immediatam Suevicam ad Nicrum et Nigram fyluam et Kocharum *h*).
- 11) A. 1783. inter domum Wirtemberg. et pagum Suevicum Craichgau *i*).
- 12) A. 1783. inter episcopos Wormalienssem et Spirenssem et pagum Franconicum Ottenwald *k*).

## §. 8.

*f*) In FR. CAROL. MOSERI *diplomatischen und historischen Belastigungen T. II. p. 179. sqq.* et in MADERI *Magaz. T. VI. p. 637.*

*g*) In *den vermischten Nachrichten von Ritterseh. Sachen II. St. p. 203*

*h*) In CRAMERI *Wizlar. Nebenst. T. CXII. p. 596; it. in den vermischten Nachrichten von Ritterseh. Sachen I. St. p. 34.*

*i*) In MADERI *Magaz. T. IV. p. 660.*

*k*) Mentionem huius transactionis facit KERNER l. c. T. II. p. 348. not. d.



## §. 8.

In pactis perlustrandis haec fere mihi notatu digna visa sunt: Cuncta fere nostro saeculo condita miraris, nisi reputes, ante annos 1689 et 1704, quibus in conuentu electionis et in comitiis imperii varia in detrimentum corporis equestris excogitata consilia tam male succedebant, nondum spem, nobilitatem immediatam concluso aliquo imperii, vel versiculo aliquo capitulationis caesareae, coercendi vel etiam opprimendi, euanuisse. — Nonnulla ex laudatis pactis inierunt status, frustra tentata via iuris (§. 7. sub n. 2.). Inde reliqui imperii proceres ad transigendum promptiores et faciliores facti. Nobilitatem immediatam autem, si iam auxilio parato supremorum imperii tribunalium, quod saepius iam efficacissimum experta erat 1), non adeo multum a iuribus suis remisisse, facile perspectu. Quo nomine prae ceteris eminet pactum anni 1769 (num. 10.). — In modo collectas recipiendi varia in commodum statuum concessa, quae

1) Exempla habes in FABRI *Staats-Kanzley* T. VII. p. 386. 393. 395. 425. T. VIII. p. 679. 722.



quae recedunt a rigore iuris equestris (n. 4.). Ipsa quantitas collectarum, a feudis consolidatis exigendarum varie determinata; nunc per auersionem (n. 4.), quo nobilitas immediata mihi periclitari videtur, nunc ita, vt statibus imperii, qua dominis directis, vna tertia, reliquae corpori equestri cedant (n. 8. 9.). — In pacto Onoldino (n. 8.) seiuncta sunt feuda originarie gratis data et in quibus antea, quam collata sunt, nobilitas immediata nunquam ius collectandi exercuit, ab iis, vbi fecus. In priori feudorum genere domino directo, in posteriori nobilitati immediatae tributa priuatiue data sunt. In alia transactione (n. 4.) similiter priuatiuam diuisionem adoptarunt, non tamen ex diuersitate feudorum, sed ex temporis discrimine instituendam.

## §. 9.

Confirmationem caesaream in hisce pactis et transactionibus non facile desideraueris. An necessaria sit, in medio relinquo. Id tamen nemo negabit, commune principium, ob quod non nisi utilitatis causa adhiberi dicitur, totam suam vim in hac re non exserere posse, nisi quis hanc propositionem:

trans-



transactionem esse speciem alienationis, alienari autem quid ex iure collectandi equestri, inaudito imperatore, cuius res simul in hoc negotio vertitur, iniquum esse, nullo modo non falsitatis atque erroris arguat. Imperator certe, dum subsidia charitatiua ad peculium suum refert *m*), nihil, quod quomodocunque collectis equestribus damno esse possit, committi vel *omitti*, et in posterum eodem rigore, quo hucusque factum scimus *n*), iure suo curabit. Nec video, quomodo conciliare possit ipsa nobilitas immediata principia,

C 2

quae

*m*) Tropice intelligendum est rescriptum caesareum ad circulum equestrem Franconicum d. 18. Ian. a. 1689. quo *ipsa nobilitas immediata peculium imperatoris vocatur*. In MADERI Magazin T. II. p. 606.

*n*) Digna sunt, quae huc transferbantur verba ex concluso supremi tribunalis aulici de 15. Martii anni 1754. *Ihro kaiserliche Majestät hätten aus demjenigen, was selbige sub praes. 22. Martii nuperi wegen vorenthaltener Collecten von Stadt und Amt Vellberg wider den Magistrat der Stadt Schwäbisch-Hall allerunterthänigst angebracht und vorgestellt, zugleich mißfällig wahrgenommen, wie Sie und ihre Vorfahren in dieser Kaiserliche iura vorzüglich betreffenden Angelegenheit so lange Jahre hindurch auf eine ganz unverantwortliche Art sich äußerst fahrlässig bezeuget und den dieserhalb vor geraumer Zeit erhobenen Mandatsprocess hinwiederum ins Stecken gerathen lassen*. Vid. MADERI Sammlung etc. T. IV. p. 681 Alia, quae huc faciunt, exempla vid. in REVSSII Staats-Kanzley T. VIII p. 470. T. XVI. p. 161.



quae de subsidiis charitatiuis prae se fert o), cum contradicta confirmationis laudatae necessitate. Pari modo repugnare, imo aduersa fronte sibi oppositae videri debent hae propositiones KERNERI: vna, caesari licere ex plenitudine potestatis iuri tributorum equestri aliquid detrahere (T. II. p. 342.); altera, confirmatione caesarea in transactionibus de eodem iure non opus esse (T. III. p. 166.); idem est, ac si nunc illimitatum ius, nunc plane nullum in vna eademque causa caesari tribuere velles.

§. 10.

Cum pactis admodum cognatae in nostro argumento naturae ac indolis sunt statuta equestria; qua voce comprehendo omnes normas, quibus aliquid nobilitas immediata inter se inuicem de iure statuum collectandi in feudis eorum consolidatis vel admittendo vel repudiando, vt de iure tertii, definiuit.

Eorum vim in nostra quaestione minus iuste aestimatam inuenio. Aiunt: statuta equestria ideo cui-

o) Compara conclusum trium circulorum equestrium in MADERI *Magazin* T. III. p. 194. Item introitum ordinationis equestri Sueuicac. Ap. BURGERMEISTER l. c. T. I. p. 161.



cunque sancta esse debere, quia vi superioritatis territorialis nobilitati immediatae competat ius, leges ferendi, deinde quia caesarea confirmatio accesserit, denique quia ipsa supremi imperii tribunalia per leges imperii ad statuta ablegata fuerint. At haec omnia quidem magni ponderis essent, si de statutorum auctoritate inter nobiles ipsos eorumque subditos quaereretur; sed ad ius quaecumque tertii status cuiusdam vel corroborandum vel minuendum ne tantillum faciunt. Perinde est ac si diceres, equites immediatos ad parendum legibus principis alicuius imperii teneri.

§. II.

Mea sententia haec est: Vti singulo cuicumque equiti immediato, dummodo adhuc res integra sit, nec alii de iure quaesito aliquid detrahatur, liberum est definire, sub quibusnam conditionibus hunc vel illum fundum aut feudo offerre, aut in feudum datum accipere velit, ita etiam idem, quoad sua res tantum vertitur, cum suis commembris de eadem re collegialiter deliberare et concludere posse censendus est. Si ergo circuli alicuius equestris membra inter se invicem de conditione reservandi iuris collectandi in

C 3

qua-



quavis infeudatione conueniunt, statutum enascitur, cui non solum ipsa membra equestria morem genere, sed cuius etiam extraneus, feudum aliquod vni ex sociis constituturus, rationem habere debet. Non amplius lex infeudationis res est arbitrii singulorum circuli sociorum, siquidem in eius locum successit ipsum statutum, tanquam communis voluntatis interpret. Is ergo, qui contra tale statutum equiti cuidam feudum, siue antea oblatum sit, siue non, concedit, similis est ei, qui a membro cuiuscunque alius societatis, v. c. negotiatoriae, in causa societatis, aliquid, quod pacto sociali aduersatur, acquirere vult. Nullum pactum in detrimentum tertii, siue personae physicae, siue moralis, siue ius, in cuius violationem pactum tendit, a me in tertium translatum, siue aliunde adquisitum sit, valet.

§. 12.

In hoc genuina statutorum equestrium vis ratione extraneorum posita mihi videtur. Vnde sequitur: 1) eam neutiquam ex auctoritate caesarea pendere, sed ex natura ipsius societatis; 2) eam restringendam esse tum ad solum circulum vel pagum, qui



qui de aliqua re pactus est, tum etiam ad solos casus futuros, neutiquam vero ad praeteritos, quippe quorum respectu res non amplius integra est. Multa quidem statuta ab hac moderatione immāne quantum declinant *p*); at, nī fallor, frustra; vereorque, ne euentu prorsus, quoad in iustis sinibus non subsistunt, destituantur. Quanto consultius esset, ea, quae modo exposui, vrgere atque inde concludere: omnes infeudationes, statuto eiusmodi posteriores, quoad sine reservatione collectarum in casum aperturae factae sunt, nullo modo tributis corporis equestris nocere posse. Iam vero scire interest, quando et a quibus talia statuta condita fuerint. Antiquissimum, quantum scio, est medii saeculi XVI. Verba pro more istius aevi, quod a subtilitate sermonis alienius fuit, quidem generaliora sunt, eiusmodi tamen, vt, modo internam documenti vim spectes, eximie ad rem nostram faciat. Sed non ad totum corpus pertinet, nec itaque normam facere potest communem, quae anno demum 1609, quantum equidem extricare potui, per trium  
cir-

*p*) Verbi causa statuta nobilitatis Franconicae Buchensis de 19. Ian. a. 1610. In *MADERI R. R. Mag. T. VIII. p. 372. 377. 378.* Item statutum incerti nominis ap. *MADERVM I. c. T. V. p. 284.*



circulorum conclusum stabilita est. Recensum dare aliquorum huiusmodi statutorum iuvat:

- 1) A. 1560 nobilitatis Sueuicæ q).
- 2) A. 1609 conclusum trium circulorum in die correspondentiali Mergenthemensi r).
- 3) A. 1610 capitulatio nobilitatis Franconicæ Buchensis, quam, quia prae caeteris statutis in hac re copiosa atque subtilis est, quoad argumento nostro inseruit, transcribendam duxi. Ita sancitum: *Damit auch unter dem Schein begebender Lehnsaperturen diese Matrikul nicht erschwächt, — so haben wir, der Lehnschaft halber, uns — verglichen, das nicht weniger von den Lehn nach erfolgter Apertur, Fälligkeit oder Verwirkung, auch allen andern Fällen, dadurch das vile dominium dem directo wiederum anhängig gemacht und consolidirt würde (es werden gleich dieselben ad mensam domini einbehalten, oder einem andern von Adel oder auch höhern und niedern*

q) Ap. BÜRGERMEISTER l. c. T. I. Excerptum habes passum in MADERI R. R. Mag. T. V. p. 405.

r) Passum concernentem vid. ap. MADERUM eod. T. III. p. 194.



dem Stands, wiederum conferiret oder zugeeignet und vererbet) alle Gebühr, Onera und Contributiones (obgleich der Inhaber zu Rath nicht erfordert) dem ritterlichen corpori davon geleistet werden sollen, als wann es in den gegenwärtigen Terminis unverrückt bestanden, immasen den Lehnherrn, als welche allbereit ihren a. 1521 zu Worms erlangten Anschlag richtig haben, hierdurch nichts entzögen s).

- 4) A. 1680 (circa) statutum incerti nominis t).
- 5) A. 1756 pactum inter socios nobilitatis Franconicae in pago Odenwaldensi v).
- 6) A. 1791 statutum nobilitatis Sueuicae in pago Dornauensi, ex ephemeridibus mihi tantum notum.

§. 13.

Similiter res certa mihi videtur, si quis fundus, posteaquam matriculae equestri iam insertus et ad tributa soluenda toti nobilitatis corpori iam obligatus fuerat, a membro equestri statui alicui in feudum offertur. Redit res ad eadem fere principia, quae in superio-

s) Ap. MADERVM cod. T. VIII. p. 377.

t) Eod. T. V. p. 284.

v) Eod. T. IX. p. 515.



superioribus paragraphis lectori propinaui. De facultatibus alienis in fraudem et detrimentum domini non licet pacisci. Quomodo ergo talis mutatio allodii in feudum iuri collectandi equestri iam quaesto villo modo damnosa esse posset? Cuius principii veritatem ipsa domus Onoldina in transactione sua cum nobilitate immediata supra (§. 7.) laudata agnuit.

§. 14.

*Observantiae particularis* est, quod in nonnullis pagis equestribus, v. c. eo, qui Kocharo adiacet, in circulo Sueuico, nonnulla bona, ab antiquissimis inde temporibus ab omni tributo equestri immunia, lingua vernacula *Freygüter* dicta, reperiantur (x). Vel allodialia, vel feudalia sunt. Posteriora etiam post consolidationem suam naturam conseruare, in aprico est. Quo fit, vt etiam hic casus in iis, quos peculiare atque expeditos supra nominaui, ponendus sit.

Causae immunitatis istius variae esse possunt, in quibus etiam haec, quod multa bona, tempore conditae matriculae Wormatiensis iure allodiali a statibus imperii adhuc possessa ideoque iam tunc satis onerata, postea demum nobilibus immediatis in feudum concessa

(x) Vid. KERNER l. c. T. II. p. 554.



cessa eorumque territorio adiecta sunt, nec ergo sine iniquitatis specie nouis collectis grauari potuerunt.

§. 15.

Restat adhuc, vt loquar de causa *praematurae consolidationis*. Fac, eiusmodi esse feudum, quod, simulac casus aperturae existat, status aliquis imperii liberum prorsus ab omnibus tributis equestribus sibi restitui, indubitate postulare potest; an vasalli esse dicemus, illud tempus facto vel culpa sua accelerare? Equidem nego, contendens: ratione iurium corporis equestris feudum tale ita considerari debere, ac si nondum consolidatum esset, corpus ergo nihilo fecius vsque ad hoc momentum, quo consolidatio naturali modo processura fuisset, quaeuis iura salua atque illibata habere. Vasallus dominium vtile vendat, commutet, donet, delicto amittat vel quouis alio modo, vt ad dominum directum via parum naturali reuertatur, efficiat, nihil detrimenti exinde corpus equestre capiet; quippe quod vsque ad certum temporis spatium, non ex libidine vasalli, sed ex natura feudi definiendum, ius sibi quaesuisse censendum est. De delictis iam ius ciuile sancit, ea, si ab vno socio, quamquam in causa sociali, committantur, reliquis sociis

D 2 non



non imputari. Accedit, quod per omnes circulos equestres nobiles immediati statutis et iuramentis *quavis modo* impedire teneantur, ne bonum equestre *vlla ratione* a corpore suo auellatur; quin generaliter ad omnia ea fugienda, quae saluti communi obesse queunt, obstricti sunt; quam obligationem vel ipsa natura geniusque cuiusuis alius vniuersitatis ferunt.

## §. 16.

Haec de *causis peculiaribus* dicta sufficiant, quibus absoluitur prima disputationis meae particula. Altera, quam in commodius tempus differre cogor, aget de eo, quod *iuris communis* seu *normae generalis* est; quo confugere iudicem oportet, quoties de speciali fundamento non constat, vel vbi in causa aliqua obscuriori iam aliquid est, scire, quid vulgare ideoque praesumendum sit. Hic in primis vrgendum est ab iis, qui nobilitati immediatae fauent, quod ius collectandi equestre tale, quale merito statuendum est, ipsa forma atque regimine reipublicae Germaniae, tanquam aeterno fundamento, nitatur, missis vel certe leuipensis iis, quae vulgo de priuilegiis caesareis eorumque vi in nostro argumento disputantur.

---

THESES.



---

*T H E S E S.*

- I. In cumulatione publiciana cum rei vindicatione haec otiosa est.*
- II. Voluntatis certitudo primum bene conditi testamenti est criterium.*
- III. Exheredationis plures praeter lege expressas causas admitto.*
- IV. Restitutio ex clausula generali praeter absentiae omnes alias iustas causas comprehendit.*
- V. Obligatio correalis, si verba spectes, aliquid monstruosi est.*

*VI.*

1795



- VI. Prohibitio sponſalium clandestinorum bonis niti-  
tur fundamentis.*
- VII. Repugnat iuri canonico militi dare praebendam.*
- VIII. In omni quidem cauſa, quae in comitiis impe-  
rii tractatur, iri poteſt in partes, ſed requiritur  
unanimis conſenſus.*
- IX. Poenae capitales in probe ordinata republica  
non decernendae.*
- X. Ordinatio criminalis Car. V. ad genium aevi no-  
ſtri omnino non quadrat.*
-







ULB Halle  
004 833 155

3




*Sl*









*J. N. p. 606.*  
1793, 3  
~~524~~  
16

DISSERTATIO INAUGVRALIS  
QVA  
CORPORI NOBILITATIS  
IMMEDIATAE S. R. I.  
IVS COLLECTANDI  
IN FEVDIS CONSOLIDATIS VINDICATVR.  
SPECIMEN I.

EAM  
AVSPICIIS REGIIS  
AVCTORITATE ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS  
IN  
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA  
PRO SVMMIS  
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
RITE OBTINENDIS.  
DEFENDET  
DIE XV. APRIL. MDCCLXXXIII  
IO. GEORG. MIHLEIS  
SVEVO-STRASDORFENSIS

GOETTINGAE  
IN OFFICINA BARMEIERIANA.

